

PLANTARUM BRASILIENSIVM

DECAS PRIMA.

QUAM

VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

CAROL. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA,

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.  
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LOND. HOLM.  
AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. PHILAD. PATR. HOIM. ET CIV.  
OECON. FINL. HONOR. WERMEL. WESTMAN. ET ÖREBR. BEROL.  
NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENKENS.  
LUND. HARLEM. AMSTED. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS.  
TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS.  
MOGUNT. ERLANG. WETTER. NACIENS. MED. PARIS. EMUL.  
MONSPEL. MED. MATRITENS. MEDIC. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET  
PETROP. MEDICO CHIR. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INST.  
TOT. NATION. MONSSELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN SCANDINAV.  
FLORENTIN. ET BATAVIS. IND. OR. CORRESPOND.

MODESTE PROPOONIT

IMMANUEL BILLBERG

VESTROGOTHUS

IN AUDIT. BOTANICO D. XIV JUNII MDCCCXVII.

H. S.

1817

UP SALIAE

TYPIS ZEIPEL ET PALMBLAD

KONUNGENS TROMAN  
GENERAL-INTENDENTEN, KAMMAR-RÅDET  
OCH RIDDAREN AF KONGL. NORDSTJERNE ORDEN  
HÖGÅDLE HERR

*JOHAN PETER BILLBERG*  
SAMT  
*FRU ANNA SOPHIA BILLBERG*  
FÖDD EHINGE R.

VÖRDADE FARBROR OCH MOSTER!

Många och stora äro de välgärningar jag af Eder hulda omvårdnad åtnjutit, men svag deremot min förmåga att derföre visa den tacksamhet, som mitt hjerta lifligen skulle önska. Emottagen dock med Eder vanliga godhet dessa blad, som med yördnad och erkänsla tilllegnas Eder af

IM. BILLBERG.



---

## PROOEMIUM.

---

An, quibus prosperis lætatur ætas nostra, disciplinarum profectus, vel studiis quorundam doctorum, faventioris naturæ ope faustissimis, vel vegetioris sæculi genio, singulari Imperantium cura, sagaci prudentiorum industria, arrectisque vulgi animis fauste nutrito, vel denique progrediendi necessitati, quam in se natam efficacemque intelligit animalis humanus, potissimum tribuendi sint, id nos pro eo, quod neutrū est, ingenii modulo judicare non audemus. At hoc saltim facili conjectura colligere nos posse nobis videmur, quod, cum stare loco nescia est arrecta mens humana, strenua illa circa disciplinarum cultum studia, quibus caluere proxime pæterlapsa decennia, haud exiguum ipsis disciplinis attulerunt emolumen; præsertim cum eæ, inter multas, existant scientiæ, quæ, ut proficiant, non tam novam sibi velint cogitationis formam, quam sollertem jamjam fixas res

A

colli-

colligendi industriam, collectaque fideliter examinandi sagacitatem. Id, quod de Historia Naturali præcipue valere nobis videtur; quæ, post ordinatum ab immortalis LINNÆO Naturæ systema, faustissimis crevit succesibus, et non singulis tantum gentibus, sed singulis utique hominum classibus, culturam sectantibus, cura fuit. At licet eximia ista jure admiremur studia, quæ huic disciplinæ jamdiu dicata fuerunt, quæ in hoc Athænæo inde a reformata scientia doctissimorum Virorum cura et diligentia lætissima viguerunt, quanta et quam multa restent, quæ nondum diligentiae humanæ innotuere! Si quidem fert suos quæque terrarum plaga sibi proprios fetus, et ubi primum visitatæ fuerunt incultæ vel ab ignotis hominibus habitatæ terræ, exstitit certe nova necdum nota, sive animantium, sive herbarum, sive montium soboles. Jam vero quantum superest terrarum nobis ignotum? quantum hæ forsan olim subministrabunt materiei Historiæ Naturalis problemata solvere conaturis? Feruntque regiones, nobis jamdiu cognitæ et visitatæ, fetus, quos nostra primum mirata est et examinavit ætas.

Brasilia quidem inter terras Naturæ arcana rimantibus ignotas non est habenda; at nihilominus Celebr. FREYREYS, Germania oriundus, non sine magna impensa opera et pecunia, magnam ex hac terra rerum Naturalium copiam doctis Viris plane ignotam adsportavit. In eos suintus pecuniam ex suo penu liberalissime erogavit Vir Historiæ Naturalis amantissimus, Svecorum et Norvegum apud Brasilienses Consul Generalis LAUR. WESTIN, qui, Svecia natus, nec umquam caritatis oblitus patrii soli, in quo ipse nutritus educatusque fuit,

id

id in animum induxit, ut eximiae liberalitatis et in Historiam Naturalem amoris indicia ferrent Musarum Athænæa, in quibus ad pleniorum adamatæ sibi Scientiæ intelligentiam formantur Populares Juvenes.

Cum vero jam, non solum ut perspecta omnibus foret laudati Viri in Musæum Upsaliense munificentia, sed etiam ut novum adferret Scientiæ incrementum, donationis hujus indicem exhibitum vellet Celeber. D. Præses, expositionem Plantarum primum faciendam duxit. Cujus quidem primam Decadem Scientiæ studiosis iamjam exhibemus, lætissimo augurio capientes, fore, ut, quæ illam sequantur, non minora allatura sint Scientiæ emolumenta, quando cura et impensis de Patria optime meriti Consulis Generalis arcana interioris plagæ Americæ Meridionalis investigaturus jamjam abiit Celeb. D. FREYREYS.

Nos vero, quorum colere est et veneratione prosequi tanta in Patriam et in Scientiam perdilectam, quantum juvenili animo esse potest, rara merita, cum nulla alia re possumus, brevem opellæ nostræ sumus apposituri expositionem eorum, quæ de vita tanti Viri nobis innotuerunt. Scilicet Holmiæ natus a Parentibus, Summo in legione Urbis excubiarum Præfecto (Stads-Major), Regii Ordinis Wasæi Equite JOH. WESTIN et ejus Uxore defuncta ELISAB. NORDLING, post prima in paterna domo facta litterarum rudimenta, Upsalienses Musas, sub ductu et auspiciis Viri in litteras et præcipue Scientiam, quam suam fecerat, meritissimi, Chemiæ Adjuncti EKEBERG, visitavit; postea vero Lisboæ in cubiculo rationario Anglico, quas in patria paravit, noticias

tias tanto per sex annos successu excoluit et auxit, ut non solum ipse idoneus sit factus ad mercatoria munera gerenda, sed etiam, quum quereretur, qui rebus Mercaturæ Svecanæ apud Brasilienses praesesset, adeo spectatus fuerit Regi nostro clementissimo, ut Consul Generalis nominaretur. Quo munere ab anno 1811 non minori fide quam prudentia functus est in Brasilia, quam, facta invasione Gallicarum copiarum per Portugalliam anno 1809, petiverat.

Ut honestis et laudabilibus tanti Viri pro Patriæ utilitate, Scientiarum incremento et Athænæo hujus commodo studiis faventius adspiret Numen, diuque provehat senectam et integras vires Celeberrimi Præsidis ad pleniorum Naturæ intelligentiam et Historiæ Naturalis florem, infucatæ et piæ mentis votis, qualia gratissimos decet alumnos, paciscimur!

---

## I. LOBELIA Westiniana.

*L.* caule frutescente; foliis ternis, oblongis, acutis, serratis.

*Crescit in locis humidis montium ad Villam Ricam.*

*Caulis suffruticosus, erectus. Rami teretes, pubescentes.*

*Folia verticillata, terna, petiolata, oblonga, acuta, inaequaliter ferrata, supra glabriuscula, subtus tenuisime villosa, tripolligaria, internodiis longiora, pollicem lata. Petioli teretes, villosi, semiunguiculares.*

*Flores axillares, pedunculati, solitarii, erecti. Pedunculi villosi, uniflori, ungaviculares.*

*Calyx gibbus, pentagonus, pubescens, 5-partitus; laciniis linearibus, persistentibus, brevissimis.*

*Corolla coccinea, erecta, bipolligaria. Tubus pentagonus, inferne angustior, dein parum latior. Limbus irregulariter fislus: Laciniæ lineares; binæ superiores erectæ, tres inferiores profundius fissæ, media paullo longior, omnes reflexæ.*

*Antheræ exsertæ, gibbæ, cæruleæ, connatæ, binæ inferiores breviores, apice ciliis niveis terminatæ.*

*Stigma sub dorso Antheræ prominens, bilobum, glabrum.*

*Capsula turbinato-clavata, 10-costata.*

*Obs. Pulchra sane species et titulo suo digna ab omnibus facile distinguitur foliis ternis.*

## 2. LOBELIA macropoda.

**L.** caule frutescente; foliis elliptico-oblongis, obtusis, ferrulatis, villosis; floribus axillaribus, pedunculatis.

*Crescit in montibus juxta Villam Ricam.*

*Caulis* suffruticosus, erectus. *Rami* angulati, pubescentes.

*Folia* alterna, petiolata, elliptico-oblonga, obtusiuscula, ferrulata, tenuissime pubescens, patentia, pollicem fere lata, bi- et triplicaria. *Petoli* teretes, villosi, unguiculares.

*Flores* axillares, peduncullati, solitarii, erecti. *Pedunculi* filiformes, villosi, patentes apice reflexo, uniflori, foliis paulo longiores.

*Calyx* gibbus, pentagonus, brevissimus, persistens, 5-partitus: *Laciniæ* lineares, acutæ, erectæ.

*Corolla* cylindrica, parum ventricosa, coccinea. *Tubus* inferne angustior, curvatus. *Limbi* laciniæ lineares, undulatae.

*Antheræ* connatæ, exsertæ, curvatæ, cinereæ; duæ inferiores apice albido-ciliatæ.

*Stigma* subinclusum, ciliatum, albidum, bilobum.

*Capacula* reflexa, pentagona, calyce coronata.

*Obs.* Distincta a *L. surinamenſi*, fulgenti et arborea.

## 3. ERIOCaulon Freyreysii.

*E. culmo trigono; foliis setaceo-linearibus; capitulo hemisphærico.*

*Crescit in montibus prope villam Ricam, in locis uidis sphagno repletis.*

*Radix cespitosa, fasciculata, capillaris.*

*Folia radicalia, plurima, linearis-setacea, integra, striata; glabra, patenti-diffusa, pollicaria vel paullo ultra.*

*Culni capillares, plures, usque decem, trigoni, striati, glabri, erecti, siccatione spiraliter torti, inæquales, spithamæi.*

*Florum capitulum solitarium, terminale, hæmisphæricum, pipere minus, niveum; Receptaculum floribus arte congestis et numerosis, oculo armato distinguendis, monoicisque obsitum.*

*Calyx communis e squamis obovatis, imbricatis, circiter 12, ciliatis, cinereis vel fuscis, nitentibus, capitulo dimidio brevioribus. Perianthium proprium superum, triphyllum: foliola obovata, fusca, margine et imprimis versus apicem pilis longis niveis ornata.*

*Corolla calyce brevior, alba, trifida.*

*Filamenta tria, limbo corollæ longiora, erecta, alba. Antheræ ovatæ, didymæ, fuscæ.*

*Stylus trifidus. Stigmata tria, linearia, exserta.*

*Obs. Flores feminei cum masculis in disco mixti, nec in radio siti, ut in *E. sexangulari*.*

*Eriocaula omnia monoica esse videntur.*

## 4. BERBERIS laurina.

**B.** racemis simplicibus, pendulis; foliis ovatis, mucronatis, integris.

*Lusitanis*: Pao de Spintio.

*Crescit* juxta villam Ricam.

*Caulis* fruticosus. *Rami* et *ramuli* alterni, teretes, flexuosi glabri, spinosi, erecti. *Spinæ* ad basin ramulorum et ramorum intra folia ternæ, intermedia longiori unguiculari.

*Folia* e gemma singula terna, brevissime petiolata, obovata, mucronata, integra margine subrevoluto, coriacea, obsolete nervosa, glabra, subus pallidiora, patulo-erecta, inæqualia, pollicaria.

*Flores* racemosi. *Pedunculi* ex axillis spinarum, inferne patentissimi, apice cernui, filiformes, glabri, digitales, multiflori. *Racemi* simplices, pedicellis capillaribus, unguicularibus.

*Corollæ* flavicantes.

*Obs.* Facies omnino *B. vulgaris*, at folia ut in *B. cretica* integerrima.

*Differt* a *B. finensi* ramis flexuosis, albis, foliisque crassioribus, margine revolutis.

## 5. ANDROMEDA coriifolia.

**A.** racemis axillaribus, secundis; foliis oblongis, acutis, integris; ramulis teretibus, glabris.

*Crescit* prope villam Ricam.

*Caulis* fruticosus. *Rami* teretes, glabri, erecti, brunnei.

*Folia*, alterna, petiolata, acuta, mucronata, integra margine revoluto, utrinque glabra, coriacea, erecto-patentia, reticulato-venosa, bipinnicaria vel ultra, superioribus minoribus, pollicem fere lata. *Petioli* teretes, unguiculares.

*Flores* racemosi. *Racemi* axillares, subsecundi, cernui, digitales. *Pedunculi* digitales. *Pedicelli* semiunguiculares.

*Calyx* 5-partitus, persistens.

*Corolla* ovata, pentagona collo angustato; *Limbus* contractus, 5 fidus; *Laciniis* ovatis, obtusis, patentibus.

*Filamenta* decem. *Antheræ* ovatae, loculis apice foramine oblique dehiscentibus.

*Germen* subrotundum, depresso, decem sulcatum. *Stylus* filiformis, pentagonus. *Stigma* obtusum.

*Differit ab A. mariana* foliis acutis, longioribus, mucronatis.

## B 6. RHE-

## 6. RHEXIA imbricata.

*R.* canle fruticoso; foliis imbricatis<sup>1</sup>, ovatis, carinatis, ciliatis; floribus terminalibus.

*Crescit* prope Villam Ricam, juxta Aurifodinas.  
*Floret* Augusto.

*Frutex* erectus, cinereus, totus glaber, ramulosus. *Rami* et *ramuli* alterni, subdichotomi, teretes, erectopatentes, subfastigiati, inaequales, foliis tecti, spithamæi ramulis ultimis digitalibus.

*Folia* decussatim opposita, sessilia, ovata, acuta, supra canaliculata, subtus carinata, ciliata, imbricata inferioribus magis remotis, læte virentia, rigida, ungicularia.

*Flores* terminales, sesiles, solitarii.

*Perianthium* foliis summis inclusum, campanulatum, basi hispidum, viride, persistens, sexpartitum: *laciniae* ovatae, cuspidatae, apice membranaceæ, corolla duplo breviores.

*Corolla* 6 petala, rubra. *Petala* ovata, obtusa, integra, collo perianthii inserta, patentia, ungicularia.

*Filamenta* 10 vel 12, perianthio infra lacinias inserta, basi latiuscula, erecta, medio geniculata, superne retroflexa. *Antheræ* oblongæ, erectæ, purpureæ, apice pallidiore contracto pertulo.

*Germen* inferum, calyce cinctum, ovatum. *Stylus* erectus, subclavatus, staminibus dimidio brevior. *Stigma* simplex, obtusum.

*Pericarpium* 6-loculare, polyspermum.

*Obs.* Species valde singularis, Rhexiis jure adnumeranda, Generi habitu et numero polymorpho.

)    ii    (

7. BEGONIA rufa.

**B.** caulescens foliis semicordatis, lobatis, ferrulatis, tomentosis; capsulæ ala rotundata.

Crescit locis humidis juxta Villam Ricam.

*Caulis* frutescens, teres, flexuosus, erectus, infra glabriuscus, superne ferrugineo-tomentosus. *Rami* cauli similes.

*Folia* alterna, petiolata, oblique cordata, angulato-loba ta lobis inæqualibus, acuminata, tenuissime denticulata, quinquenervia, supra hirsutie rario ri scabriuscua, subtus tomentosa, utrinque ferruginea, crassiuscula, inæqualia, pollicaria usque tripolllicaria. *Petoli* teretes, ferrugineo-hirsuti, subpollicares.

*Stipulæ* petiolos basi amplectantes membranaceæ, extus hirtæ.

*Flores* terminales, paniculati. *Pedunculus* teres, erectus, dichotomus, hirtus; *Pedicelli* subumbellati. *Masculi* flores: *Petala* quatuor, duo majora exterio ra rigidiora et ferrugineo-hirta; duo interiora opposita, oblonga, tenera, albida. *Antheræ* luteæ, erectæ. *Feminei*: *Petala* quinque, duo subrotunda, exteriora majora, hirta; duo interiora ovata, alba. *Styli* tres, bipartiti.

*Capcula* ovata, trigona, angulis membranaceis, binis interioribus fere obsoletis, exteriore exerto ala parva rotundata; magnitudine pisi majoris.

*Obs.* Foliorum forma similis *B. acutifoliae*, sed ab illa et a congeneribus hirsutie ferruginea distinctissima.

## 8. XYLOPHYLLA obtusata.

*X.* foliis distichis, lanceolatis, obtusis, ferratis; ramulis  
ancipitibus; floribus sessilibus.

*Crescit in montibus Villam Ricam adjacentibus.*

*Caulis* arborescens, cinereus, glaber. *Rami* et *ramuli* al-  
terni, teretes, a casu foliorum nodulosi, cine-  
reo-fusci, glabri, summi compressi.

*Folia* alterna, sessilia, lanceolata, basi attenuata, obtu-  
sa, remote ferrata, striata, glabra, coriacea,  
digitalia.

*Flores* in ferraturis foliorum alterni, sessiles, solitarii.  
*Calyx* 5-phyllus.

*Capsula* globosa, stylo trifido coronata, sexvalvis, triло-  
cularis.

*Obs.* *X. montanae* proxima, a qua foliis angustioribus,  
et obtusioribus diversa videtur.

## 9. STEVIA urticæfolia.

*S. herbacea* foliis ovatis, acutis, ferratis; floribus paniculatis.

*Crestit* in montibus circa Villam Ricam.

*Floret* Augusto.

*Caulis* herbaceus, simplex, teres, villosus, erectus, superne florens ramosus, tripedalis.

*Folia* opposita, petiolata, rhombeo ovata, acuta, ferrata ferraturis obtusis, basi attenuata et integra, patentia, nervosa nervis villosis, pollicaria. In axillis folia minora. *Petoli* brevissimi, tensione in folium dilatati.

*Flores* paniculati. *Paniculae* axillares et terminales. *Pedicelli* capillares, unguiculares.

*Calyx* cylindricus, simplex, 5-phyllus: foliolis lanceolatis, carinatis, glanduloso-hirtis.

*Corollæ* 5, infundibuliformes, calyce longiores, albæ, limbo 5 fido, patenti.

*Antheræ* inclusæ.

*Stylus* elongatus, bipartitus. *Stigmata* laxa, subclavata, pubescentia.

*Semina* subulata, sulcata, angulis scabra, nigra. *Pappus* paleaceus, 4 vel 5-dentatus, absque aristis, albicans, brevisimus.

*Receptaculum* nudum.

## 10. TRIPTERIS floribunda.

T. foliis oblongis, obtusis, glabris; paniculis terminalibus.

*Crescit in montibus prope viam ad Villam Ricam.*

*Caulis* fruticosus, erectus, totus glaber. *Rami* ramulique teretes, inermes, divaricato-patentes.

*Folia* opposita, petiolata, oblonga, obtusiuscula, integra, rigidula, subtus reticulato-venosa, patentia, bipinnicaria et ultra. *Petiolus* vix ungivicularis, supra sulcatus.

*Florum* panicula terminalis, amplissima, erecta. *Pedunculi* oppositi, subpollicares. *Pedicelli* capillares, ungivulares.

*Calyx* 5-partitus, basi externe poris binis melliferis.

*Petala* excisa, lutea.

*Styli* tres, subulati, erecti, *Stigmatibus* capitatis.

*Samara* alata, alis binis minoribus.

*Obs.* T. *citrifoliae* et *acuminatae* proxima; notis vero allatis fatis dignoscitur.

## EXPLICATIO TABULARUM.

Tab. 1. fig. 1 sifit Lobeliam Westinianam magnitudine naturali.

Tab. 1. fig. 2. Eriocaulon Freyreyssi magnitudine naturali repræsentat.

- a. capitulum auctum.
- b. foliolum calycis communis.
- c. flos masulus.
- d. idem cum Corolla et Staminibus.
- e. flos femineus, magnitudine auctus.
- \* unicum ex foliis, magnitudine aucta.

Tab. 2. fig. 1. Ramus Berberidis laurinæ cum floribus foliisque, magnitudine naturali.

Tab. 2. fig. 2. exhibet fruticem Rhexiæ imbricatae, habitu naturali.

- a. flos calyce 5 partito, supero, petalis deintis præter unum, et cum staminibus binis relictis.
- b. Stamen filamento geniculato, Antheraque apice pertusa.
- c. Pistillum.
- d. ovarium immaturum, transverse sectum, sexloculare.

Partes omnes magnitudine auctæ.

---

## THESES RESPONDENTIS.

### I.

Cupiditati, qua flagrant Homines, novi quidquam discendi optime satisficit, præter alias, Scientia Historiæ Naturalis.

### II.

Clasres quo magis naturales, eo difficilius genera et species in iis dignoscuntur.

### III.


Quæ brevior est rerum Naturalium descriptio, si præcipuas notas characteristicas contineat, eo perfectior est ac utilior.

### IV.

Alimenta, quæ e regno vegetabili capiuntur, utiliora esse corpori humano, quam ex animali censemus.

### V.

Inter tria Naturæ regna justos arctosque determinare limes, ob nimiam affinitatem, arduum admodum esse videtur.

*Lobelia Westiniana**Eriocaulon Freyrei*.

Pucknam sc.



*Pheria imbricata.*

varlez del.



*Berberis laurifolia.*

Struckman sc.